



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt LIV. Alijs etiam profanorum hominum dictis, & exemplis, & quidem  
ob varia scelerum genera, demonstratur pœna talionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45699**

## CAPVT LIV.

*Alijs etiam profanorum hominum dictis, & exemplis, & quidam ob varia scelerum genera, demonstratur pœna talionis.*

I.

**P**eraque, quæ modò attulimus, sacri scriptores de rebus sacris, tradiderunt, superest nunc, vt eandem talionis legem, etiam vel profanorum authorum testimonijs confirmemus; vel, si qui authores non erunt profani, saltem exemplis profanis, vt pateat hanc diuinam Nemesis vbiq̃ gubernantem nulli, aut nusquam non esse mentuendam, seu in oculis is degat, seu in templis. Regis Alfonso ea sententia fuit, vt qua quisque re peccaret, eadem etiam plecteretur. Hinc cum equitem luxuriosum, & bonorum suorum decoctorem punire vellet, quibusdam ab eo enixè petentibus, ne in corpore lueret debita, quæ ille plurima per luxum libidinemque contraxerat, respondit: Equitem hunc neque sui regis gratia, neque patriæ commodo, neque propinquorum & amicorum, ære alieno suscepto, tam grande patrimonium profudisse; sed omnem suam substantiam corpori indulgisse. In corpore igitur luere æquius esse, vt pœna malefactoris ex æquo responderet. Eiusdem sententiæ sunt omnes qui, dum potestate pollent, peccantes per illa ipsa puniunt, per quæ delinquant. Sic in multis Religiosis Ordinibus, curiosi oculi ad tempus obligantur, ne circumspicere possint; garrulis & linguacibus silentium indicitur, vt os refrænetur; inquietis & gyronagis, limites ponuntur, quos non licet transilire. Prudentes quoque Confessarij, gulosis & ebriosis ieiunia, abstinentiam, temperantiam; luxuriosis & libidinosis cilicia, humicationes, flagella imperant. Quibus in rebus etsi contraria contrarijs curari videantur, tamen ea ipsa corporis membra castigantur, quæ sunt præuaricata. Cû non iustè sic iudicent homines? ita ipse quoque olim iudicabit Deus. Nulli enim in inferis locis sensus suo cruciatu carebunt, qui hic fuerunt instrumenta flagitiorum.

II.

Ita Reges, & Duces, & Indices iudicarunt: nec secus fecerunt subditi Iudicum, Ducum, Regum. Rufinus, apud Arcadium præfectus

Panormitan.  
l. de reb ab  
Alfonso rege  
gestis.



fectus prætorio, quia avarissimus fuit, & manus ad opes colligendas nimiam extenderat, à militibus exercituque Romano interceptus est. Capite verò Rufini resecto, & lapide in os eius immisso, hasta infixerant, & in sublime sustulerunt. Dextram quoque eius abscisam, per urbem circa opificum officinas circumstulerunt, verbis his venentes: DATE STIPEM INEXPLEBILIS AVARITIÆ VIRO. Et ridicula ea mendicitas multum satie auri collegit. Perlibenter enim in iucundo & grato spectaculo homines aurum contulerunt. Ac Rufini quidem imperij affectatio ad eiusmodi vitam finem perduxit. Sublimatus est, sed in hasta, ut caput eius emeretur, qui caput omnium esse voluit; & in ignominiam dextra eius defuncti mendicavit, quæ ad nimiam potentiam, viua pecunias collegit. *Ἢ ἄν γὰρ τῆς ἀμαρτίας, ἢ αὐτῶν καὶ αὐδίστα.* Sic superbia, sic avaritia mercedem recepit, pœnâ talionis. Quod & experta est libido Valentiniâni Hesperia Imperatoris. Cùm enim vultu venusto & rebus alijs ornata maximè in matrimonio haberet coniugem, iunioris Theodosij filiam, Eudoxiam, alienas nuptias turpiter fœderat &c. tandem vitam fœdissima morte finiit. Maximus enim, quod Valentiniânus uxorem eius stuprasset, remotis ijs, qui impedire poterant, Imperatoris regiam ingressus illum interemit, & coniugem eius Eudoxiam rapuit, eidemque per stuprum vim intulit. Per qua enim quis peccat, per eadem etiam castigatur, ait historicus. Hæc talio debebatur luxuria. De ira, vel odio, vel immatura vindicta, apud Zonaram legimus, Leonem Armenum Græcum Imperatorem impium, quadam ratione vitam cum imperio amisisse. Ipso quippe Natali Christi die, de Michaële Balbo maiestatis reo sumpturus supplicium, deprecante Augusta, distulit pœnam, sine dubio consilio vindicis DEI: quandoquidem in ipsum vertit. Etenim nocte infrequenti Balbus è carcere elapsus, contrahit veterum coniuratorum manum, cum quibus sub monachorum habitu sicas ferenti. Ita Alexander Pellegrin in Mathæi Euang. c. 7. Paradoxo 12.

Niceph. Callist. lib. 13. hist. cap. 10

Idem Nicephor. lib. 15. cap. 11.

Zonaras l. 3.

Ita Alexander Pellegrin in Mathæi Euang. c. 7. Paradoxo 12.

111.

Quoniam autem sæculum nostrum ferax est eiusmodi machinationum, quæ meritò talionis secuturæ minis terrendæ sunt, accipe aliud politicum eiusmodi exemplum ex Hugone Falcando,

cando,



eando, de rege & regijs viris, qui etiam non nominati facile venire possunt in coniecturam. Rex quidam antè, quàm fatis concederet, quia filium relicturus erat regni successorem, admodum iuuenem, cum sciret, neminem sapere ante annos, viros ei adiunxit eruditione & prudentia claros, quorum sapientia dirigetur. Quos ille, per ætatem, & viuo patre, sustinuit patienter. Vbi autem paulò adolescentior factus est, & pater è viuus excessit, libertatem nactus, sapientissimo parentis consilio insuper habito, omnes à se reiecit. Vnicus erat in aula, homo vaser, qui & ingenio, & eloquentia eminebat, à puero ad omnem simulandi artem educatus, itaque adulari doctus, vt nemo alius: Proteum dixisset. Nam etsi probrosa voluprate immerfus tenebatur, poterat tamen, ficta quadam honestatis fronte, delicias suas tam artificiosè celare, vt Hyppolytus putaretur. Neque Venus illum dumtaxat & Cupido vinctum tenebat, sed etiam, quia ingenio superbus erat, insuper incredibili dominandi libidine flagrabat. Quocirca omnes ad iuuenem regem aditus obseruabat. Et ad votum cecidit conatus. Nam regius iuuenis, ceteris omnibus posthabitis, hunc probauit, prætulitque. Nullus enim se indoli illius magis sciuerat accommodare. Quæcumque nouerat ei placere, laudabat; quæ ingrata esse, damnabat, totus ad Genium illius factus. Hunc ergo rex, præ omnibus amauit æstimauitque, huic regni sui gubernacula tradidit, commissa ei suprema regij Præfecti dignitate, ratus se in Iosephum aliquem incidisse.

Ad hunc iste honoris potestatisque gradum ex humillima conditione euectus, breui eam sibi, apud regem, parauit auctoritatem, vt non solum à gratia principis, sed etiam à rebus agendis reliquos omnes pedetentim amoliretur. Non satiat, sed inflammatur ambitiosus honor, semperque vterius grassatur. Itaque hoc quasi portu potitus Præfectus, animum ad regnum occupandum transfudit. Quod ne emanaret, varijs artibus textit. Nam regem mendacijs maximis ludificauit, adulationibus assiduis ita delinuit, vt omnia esse in tuto atque integra arbitraretur; cum interea Præfectus nihil omitteret eorum, quibus consilium suum firmaret. Agebat tum in vrbe regia Archiepiscopum Ecclesiæ cathedralis homo eiusdè fermè ingenij. Erat enim vir industrius, sed



sed ipse quoque corporis voluptati deditus. Cum hoc, similitudine morum amicos conciliante, Præfectus regius consilium iniuit, de rege amouendo, quem dicebat inutilem esse sceptro, & procedente ulterius tempore facile in tyrannum degeneraturum. Ut autem ambitionis suæ cogitatio, ne Archiepiscopo quidem in suspicionem veniret, natum regi iuueni filium, dicebat longè accuratiùs in spem regni posse educari. Ad hoc consortium magis firmandum Archiepiscopo ianuam ad regis familiaritatem patefecit. Existimabat enim futurum, ut, quidquid ipse regi suggereret, id accedente Archiepiscopi comprobatione, maius pondus haberet.

Numquam malorum technæ ita felices habent processus, ut nulla se illis obijciant impedimenta. Igitur & in hac aula Comites aliquot erant boni publici amantes, atque intentum oculum ad regni incolumitatem habentes. Quibus stimulum addebant haud exiguum consiliarij veteres, qui nondum concoxerant dolorem conceptum, ob officij sui amissionem, quam nulli nisi Præfecto regio tribuebant. Quod, ob eorum frequentes conuentus, & clandestina colloquia, non ignorauit Præfectus, alioqui gnarus, neque iniurias citò deleri ex animo læsorum; neque carere inuidiâ, si quis è plebe oriundus, inter satrapas, ad summum emerisset. Quare cauendum sibi ratus, prædictos & Comites, & consiliarios, data occasione, infamia rebellionis notauit, regemque induxit, ut hunc exueret vita, illum è regno exterminaret, alium oculis & lingua priuaret; vel alijs modis perderet.

Vnum è Comitibus, quia erat vacillantis fidei, mirabili modo sibi conciliare satagebat. Nam multis adductis rationibus regem impulit, ut illius oppidum quoddam occuparet, & quòd satis esset munitum, & quòd multis rebus opportunum. Quo facto sciebat Comitem vehementer irritatum iri. Ne verò dati consilij ipse auctor videretur, Comiti mentem regis aperuit, quam aiebat, se omnibus modis improbasse, iurauitque contrarium prorsus suasse, atque ut regem in tyrannidis suspicionem vocaret, addidit, ab eodem verba iactata fuisse, quæ coniecturam faciant, breui fore, ut pauci nobiles in regno supersint: ita enim velle opes omnes ad se se potentiamque trahere. Hæc Præfectus,

K k k

in



in summo secreto se Comiti concedere dicebat. Sed nolebat ea esse secreta Comes, qui culpam omnem in eum regerebat, dictitans, Si quidem talis sit rex, eius officio incumbere, ut id ceteris quoque indicaret, quorum periculum ageretur: omnes enim promptè Reip. in deterius labenti opem laturus. Atque hoc ipsum Præfectus, quamvis inuito vultu, sibi responderi cupiebat. Si quidem hinc occasionem arripuit, conspirationem, quam in pectore fouebat, contra regem propagandi. Ergo repente à se ipso alius, Quando video, inquit, te quoque cordi habere res communes, non calabo, plures esse, qui idem & tecum, & mecum sentiant, regemque iudicent solio mouendum. Atque in primis huius sententiæ est Archiepiscopus, & alij multi præclari viri; qui quidem me ipsum in locum regis destinant. Verùm ego, non meo merito, sed regis errore in Præfectum regium assumptus, agnosco meam imbecillitatem, atque exiguas ingenij animique vires, quæ tantæ dignitati nequaquam sunt pares. Magis igitur censeo, filio seruandam esse paternam sedem; in quo est jus successionis; auctoritas sanguinis; & utique etiam totius populi fauor.

Nouerat mores Palatinorum Comes, cui Præfectus regius dudum erat spina in oculis, itaque cum vulpe vulpinandum ratus simulauit, se omnia amicissimo animo accepisse; adiecitque, se minimè passurum, ut filius regis parenti succedat, iniurias utique paternas seuerè olim vindicaturus. Enimuerò neminem vllum esse Præfecto ipso vel ingenio, vel usu experientiaque rerum ad regni negotia aptiorem. In hunc modum Comes Præfectum mulcebat, contra quem jam antè cum alijs nobilibus iniuerat societatem, quorum votum erat, ut, interfecto rege, filius regis substitueretur, & à Præfecto prodicionis pœna exigeretur. Quamquam igitur antè jam satis, inter Proceres, constabat, Præfectum atque Archiepiscopum aliquid moliri, longè tamen certius, id per hunc Comitem innotuit: ut quem sceleris socium habere cupiebat, eum maximè aduersarium experiretur. Crescebat fama, & angebatur animus nobilitatis ad Præfectum vel vi, vel arte opprimendum: & ipsa quoque contra eum conspirantium multitudo fiebat in dies maior. Eorum igitur aliqui munitissimum quoddam regis castrum occupant, in quod recepti, mittunt, qui protestentur,



testentur, nullum se regi malum machinari, sed illud dumtaxat agere, ut contra Præfecti regij, atque etiam Archiepiscopi vim se tueantur; cum palàm sit, eos de rege interficiendo conspirasse, & Præfectum totis viribus ad regnum occupandū anhelare. Magna sæpe est, etiam in magnis Principibus cæcitas, ut nihil de eo mali credant, de quo semel bonam opinionem hauserunt. Quare neque rex ille fidem habuit denuntiationi; quin potiùs fidelitatem Præfecti putavit causam esse, ut ab invidentibus accusaretur. Unde pactionibus certis interpositis, castrum recepit, & motus publicos omnes compefcuit, saluo Præfecto suo, omnia salua arbitratu. Quoniam autem audacia vires sumit à felicitate, animaduertens Præfectus, bonam existimationem de se, in regis animo esse stabilitam, tantò magis erectus, eò consilia sua direxit, ut regem in dies redderet magis odiosum: cumque ipse omnium esset author, tamen apud obuios quosque regis consilia, iussa, amenciam & crudelitatem palàm traduxit; ut & tot querelis oppresso, ipse altiùs emergeret. Et quod omnium erat miserrimum, sic occupatus erat regis animus, ut nemo de Præfecto, apud eum, quaestionem mouere auderet. Præfectus innocentia, Præfectus oraculum, Præfectus tota curia, totus senatus, Præfectus omnia erat. Væ Principi, qui se subdito suo subdit, & regi potiùs, quàm dirigi finit, soloque nomine contentus, seruum finit dominari! Cùm Præfectus videret, neminem esse, qui jam regem de hoc rerum statu auderet certiozem facere, cœpit ipse amicitias emere, & beneuolentiam sibi vbique conciliare. In primis stipem largam pauperibus elargiebatur. Deinde confessionem crebrè repetebat, apud tribunal sacerdotis. Accedebat etiam frequenter ad sacram synaxin, idque publicè & in omnium conspectu. Clericos honoribus demulcebat. Milites præmijs affecit; alios largitionibus, laudibus alios studuit sibi demereri. Inter suos denique amicos & clientes præcipua officia ac dignitates idistribuit. Ita per omnium fauores grassatus est ad coronam, quæ sola illi deerat, ut rex vocaretur.

Ut sol, cùm in meridie ad summum venit, in declini est, atque iterum descendit, ita homines plerumque, quando ad altissimum prouecti sunt felicitatis gradum, iterum deficiunt, immò cadunt.



Tali modo & Præfectus regius expertus est, se non tam in summo, quàm in præcipiti stetisse. Rumore, immò famâ in viciniam queque versus delatâ, nihil jam Præfecto, præter nomen regis, deesse, tumultus exoritur. Neque enim amplius suspecta erat illius potentia, sed palàm formidabatur. Ea seditio, quàm primùm illi innotuit, videbatur haud segniter compescenda. Ad quam rem nemo illi magis idoneus erat, quàm nobilis quidam iuuenis, in omnem astum promptus; quem cum multis alijs sibi beneficijs deuinxerat, tum etiam filia illi in matrimonium desponsæ vinculo obligatum tenebat; vt neque de dexteritate, neque de fide illius quidquam dubitandum arbitraretur. Hunc misit ad tumultuantem populum componendum. Qui quidem initio aggressus est innocentiam Præfecti, quibus poterat modis, tueri. Sed Deo tandem finem malitiæ atque ambitionis statuente; is ipse, quo tutore vti voluit, exitium eius fuit. Quippe à factiosis obrutus, & persuasus multis rationibus, cum iisdem fœdus contra Præfectum iniit; eoquæ conatus processit, vt filia Præfecti contempta, atque in locum eius filia Comitissæ promissâ, ipse negotium suscipere, Præfecti interficiendi, ad quem defendendam venerat. Callidè tamen mentem hanc suam occultans ad Præfectum regreditur, omniaque fausta ei nuntiat, tantoque eum incautiorem facit, quanto securiorem. Nihil igitur metuens, sceptrum jam sibi in manu habere videbatur, si regem interfecisset; cui proinde rei patranda certam decreuerat diem: certam horam. Sed antè cum Archiepiscopo conueniendum erat, de tutela regij filij, deque regij thesauri custodia. Ibi nouum ortum est dissidium, nam utroque illam sibi deposcente, fœdus amicitia, quod inter improbos non potest esse diuturnum, rampitur, adeò, vt arctissimi conspiratores capitali repente odio à se inuicem distraherentur; & alter alterius vitæ insidias strueret. Diuersis vijs itum est in mutuam necem. Præfectus veneno rem agere, & clam voluit; Archiepiscopus ferro, & palàm. Præuenit Archiepiscopus, qui securus erat in scelere Præfectum; cædisque ministrum habuit eum ipsum Iuuenem, cuius amicitia & fide Præfectus nitebatur. Nobilissimus enim ille iuuenis, vt jam antè alijs quoque promiserat, magna militum manu armatus, redeuntem cum suis eum, nocturno tempore,



pore, intercept, atque miserandum in modum, in ipsis plateis, contrucidauit. Hic fictæ amicitia, & simulatæ virtutis, regniq̄ue, per summum nefas, affectatæ fructus fuit: hæc tot cædium designatarū compensatio. Quamquam neque ipse etiam iuuenis tam funestum & atrox facinus impunè tulit. Nam rege, ob patratum scelus, illi grauer offendit, aliud maius facinus cogitauit: vt supplicium euaderet. Quippe, restaurata conspiratione, id effecit, vt rex captus in viocula duceretur. Vnde tamen populi impetu ereptus, iuuenem in custodiam abripi iussit; ex quo tota intellecta est conspiratio. Iuuenis oculis orbat, deinde incisis supra talos neruis gradiendi facultatem, demum etiam vitam miserimè perdidit. Tandemq̄ue ceteris etiam rebellibus domitis, ac locis munitissimis recuperatis, rex, per multos annos, regnum deinceps tranquillum tenuit.

Hæc est vita aulicorum; quæ multa docet. Nam primò, cui ea placet, eam eligat. Mihi videtur tutius inter Scyllam & Charybdin nauigari. Deinde etiam atque etiam considerent Principes, quanti discriminis sit, veteres, & fideles consiliarios ab aulis remouere; atque eorum loco, obscuros, nouos, adultores, quadruplatores suscipere, qui Sirenium more suaves potiùs, quàm vitales occinant cantilenas; totamq̄ue Reipublicæ nauim, non in portum, sed in scopulum inferant. Videant etiam quàm periculosum sit, vni omnia committere; vnã audire dumtaxat; vni omnia credere; querelas contra eum delatas, tamquam ex inuidia ortas repudiare; plures oculi plura vident. Animaduertant quoque, quàm temerè se se exponant potentia in alium à se translata; dum enim ipsi à se labores molestiamq̄ue in talem reijciunt; reijciunt vnã etiam auctoritatem. Nec rarò cum auctoritate regna ipsa amittuntur. Quæ, si diuina protectione, ad eiusmodi inuales non transeunt; tamen satius est, nec sibi metuendi, nec alij facere sperandi occasionem. *Vidisti aliquando ca-*

IV.

Senec. ep. 15.

*uem missa frustra panis aperto ore captantem? ait Seneca, quidquid accipit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri hiat. Idem uenit nobis, quidquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate demittimus, statim ad rapinam alterius erecti & attoniti in Epicureum illud chaos incidimus: inane sine termino est. Ambitioso pri-*

Kkkk 3

mum



mum gratia placet, & sustentat fauor Principis; postea potestas concessa erigit; mox titillat gloria; denique vt flamma in incendium, ita delectatio honoris erumpit in libidinem dominandi. Quod aded commune est, vt etiam in ipsis Religiosis Ordinibus, cui nimium fidentur, nimium insolecat, coneturque tandem cum de gradu ipsum deicere, qui ei nimium se fecit familiarem. Quod si Rex, si Princeps attendere debet, ne cui nimium credat, quana erit inter ipsos aulicos amicitia constantia? quod confidentia fundamentum? Illine tu fidis, quem Principi suo vides non esse fidelem? Illius foedere niteris, qui, vt placeat, virtutem mentitur? Maximum indicium malae mentis est fluctuatio, & inter simulationem virtutum, & amorem vitiorum assidua iactatio. Quid de illo tibi promittis, quem scis noctu ad lupanaria, volu- pratis causa; interdum, fama gratia, ad templa accedere? Politicorum nunc ista ars esse dicitur. Hi tales maxime aulis idonei putantur; qui in Machiaueli schola, aliud promptum in ore, aliud clausum in pectore habere didicerunt. *Verba bilinguis, quasi simplisia.* Nihil putes sincerius: & ipsa perueniunt usque ad interiora ventris; quia veneni instar, tunc demum sentiuntur, quando admittuntur. Itaque nihil his in aula perniciosius. Nocent domino, nocent seruis. Quia *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios:* vident enim, se non libenter audiri, si non sciant mentiri. Atque hoc ipsum inter aulicos, quam gignit opinionem? quam fidem? Aegyptijs olim, quia nullus mentien- di modus, summaque eius vitij impunitas erat, nemo credidit; & Epianetus dicere solebat, *mendaces omnium scelerum & iniuriarum authores esse.* Qui enim semel a veritate deflexerit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium perducitur consue- uit. Hoc itaque fieri necesse, vt, vbi tales maxime idonei censentur, vel omnes tales sint, vel tales putentur. Si tales putantur, quid illis fidentur? Fortasse ille ipse est proditor tuus, qui fidelis- mum se fingit? Enimvero, esto bonus sit; esto sit verus amicus, quis id certo nouit? quis non timet? quis non suspicatur? praefertim in eo loco, in quo quotidianum est, vel fallere, vel falli? Et vel ideo quotidianum, quia *mendacia, si non habent, quem desipiant, ipsa sibi mentiuntur.* Sicut ait Psal. *Mentita est iniquitas sibi.* Quid

Prou. 18. 8.

Prou. 29. 12.

Alex. lib. 6.  
cap. 10.

Plutarch. in  
Lacon.

S. Chryf in  
6. 21. Matth.



Quid multa dispero? iustissima talionis poenâ, mendacia à mendacijs, & ficti amici à fictis amicis puniuntur; infidiâque infidijs compensantur; & qui, ad modum Præfecti regij, vt occideret, mentitus est, meritò ipse mendacijs decipitur, vt occidatur.

Ne quis autem existimet, Principes, aut Reges ista talia pati tantùm, non etiam agere, Albertum Cranzium adeat, apud quem inueniet, An. Christi 998. Othonem III. Imp. Roman. profectum, quo in itinere, iuxta Mutinam in villa Amula dicta diuertit. Ibi ea acciderunt, quæ magna admiratione digna metro scripsit Gotefridus Viterbiensis. Augusta vxor illius, Maria nomine, Regis Aragonum filia eodem hospitio vsa, hospite quoque abuti voluit. Nam loci dominus erat Comes, vir integerrimus, æquè formâ ac genere & opibus præstans. In hunc procax femina, Imperatrix oculos coniecit. Oculos secuta est cupiditas: hanc impudentia, qua præualefcence, non verita est ab eo crimen petere. Horruiet Comes iniquam petitionem, & fortiter reiecit, nomen sæculi illius Iosephus. Sed & illa Putipharis vxori libidine par, eandem contempta, furore quoque est imitata. Siquidem repulsam passa, atque amore in odium verso atrocem calumniam vertit in innocentem, eumque apud Imperatorem accusauit, quasi pudicitiam suam perentasset. Nimirum credulus est zelus maritalis, ea de causa & Otho vxoris calumnia fidem adhibuit, atque subito calore abreptus Comitem extemplo capite plecti iussit. Quod vbi ad coniugem Comitis fuit perlatum, dolore amens cucurrit, & sublatum de terra mariti caput, ingenti audacta, (quam pudoris ac timoris nescius furor ministravit) ante Othonem pro tribunali sedentem in medium proiecit, incredibili vociferatione, viri sui innocentiam protestans, & immeritæ necis illatæ vindictam expetens: neque alium iudicem, neque reum in terris querens, quàm Imperatorem ipsum, tunc iura reddentem, & iniuriam innocentissimo sanguini facientem. Et quia alij testes deerant, ad naturam atque elementum prouocauit, contrectationem ferri candentis in probationem, & veritatis indicem offerens. Non potuit Imperator contra eiusmodi testem excipere. Parantur omnia, ferrum ignitur. confluunt spectatores, sedet Otho, & vult in muliere Scæuolam spectare. Mulier innocentia

V.

Albertus  
Cranz. in Sa-  
xon. lib. 4.  
cap. 24 Siffi.  
presbyter in  
Epitome Ba-  
ron. tom 10.  
Anno 998.

tia



tix mariti interfecti conscia, metallum candens ambabus manibus arripit, atque illæsa non secus ac vernos flores contrectat, quo solum prodigio attoniti Imperatoris præcordia exurebantur. Exultat primum ipsa victrix. Mussant deinde, capitibus inter se collatis, qui ad spectandum confluerant. Palam tandem ab omnibus mulieri tam heroicæ acclamatur: quæ tum miraculo, tum applausu animata, postulat à gladio Imperatoris, talionis vindictam in ipsum Imperatorem. O quàm alia tunc fuerunt sæcula! nunc mille prætextus excogitentur ad Principem, in huiusmodi errore, excusandum. Otho clara veritate convictus, & culpam agnovit, & reum se fassus poenam non detrectavit; iugulumque pro iugulo spondit, solis inducijs, ad negotia quædam expedienda, postulatis. Mirus iustitiæ amor. pro morte innocenti illata, vult mortem oppetere Imperator; & vidua Comitissæ audet eam vrgeri? Sed non permittunt id aulae Proceres; circumstant feminam, & pro vita Imperatoris rogant; neque eam multis precibus exorant, fuitque frustra diu laboratum; donec tandem iudicium ea est conditione transactum, ut, quæ prima sceleris causa fuerat, Maria Regis filia, Imperatoris vxor, Augusta illa, & adultera, & calumniatrix, rogo adiudicaretur. Fuit & hoc arduum Othoni, sed fecit. Arsit igitur infelicibus flammis Imperatrix, quæ illicito atque impuro igne accensa ita exarsit, ut quem ad facinus inducere non poterat, per calumniam, in interitum nefariè præcipitaret; sed exitio alterius in exitium ipsa incurrit, atque in fumum abiit libidinosa, & calumniosa maiestas. Quo facto suam vitam redemit Imperator, & viduam tribus castris donatam, ut contenta abiret, rogavit.

## VI.

Talionem vides? immò vides æquitatem? Sed Viduæ audaciam miraris? *Patas, neminem debere cogi ad iustitiam? cùm legas patrem familias dixisse servis: Quoscumq; inueneritis, cogite intrare?*

*Idem ep. 144.* Miraris patientiam Imperatoris? *Iustitia verò sic amanda est, ut ab eius operibus etiam poena corporis nos cohibere non debeant, &c.* Hinc est, quod ille fortissimus iustitiæ dilector exclamat: *Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius?* ait S. Augustinus. Et cogi igitur, appellatione illa, immò prodigio illo ad iustitiam potuit Impera-

Rom. 8.



Imperator; & mortem velle pati. Quod sanè mirum videbitur sæculo nostro, Imperatorem voluisse mori; neque probaturo, ipsam Imperatricem morti adiudicatam. Nimirum sicut palato non sano pœna est cibus, sano suavis est: & oculis agris odiosa lux, qua incolumis gaudet obrutus: ita displicet iniquis iustitia Dei, cui si subijcerentur, non conturbarentur. Hinc multi memoratam historiam fabulis ascribent; illi scilicet, qui putant, Principes debere suo com- modo, non iustitia legibus, Rempublicam administrare; cùm ve- tus sit illud: *Sine iustitia, ne Ionem quidem posse Principem agere.* Plutarch. lib. de doc. Prin- cip.  
Iustitia autem est clausis oculis, non aspicit pœnam; delictum ex- pendit; nec parcat vxori; nec Principi iniuriarum licentiam con- cedit. Heu quàm deploranda igitur iustitia est illis, qui non so- lum summis capitibus, & verticibus Retumplicarum volunt omnia impunita esse, verùm etiam licita arbitrantur, neque in- quæstionem vocanda! quasi non aliquando vel illorum oscitan- tiâ, vel ignorantia, vel avaritiâ, vel crudelitate, vel iniustitiâ, mil- le homines, iterumque mille & mille in exitium trahi sinerentur? Quasi non tot villæ, pagi, arces, & vrbes pessum darentur? Vbi talionis pœna? Sæpe (quandoquidem talium cladum authores ipsi se non vocant ad tribunal) Deus eos afficit talionis pœnâ, cùm illis similia mala immittit: Sæpe illis maiora referuat sup- plicia in Acheronte, quia non sufficit illis talionis pœna. *Audite Sap. 6. 2.*  
*ergo reges, & intelligite, discite indices finium terra. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm es- setis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iusti- tiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò ap- parebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormen- tum patientur.*

Quòd si verò Principes, Duces, Reges, ac Imperatores, ob VII.  
delicta sua, si non atrocius, saltem lege talionis puniuntur; quid expectandum erit militibus illis, quibus tota militia nihil est aliud, quàm rapiendi, cædendi, occidendi licentia? Putantné, si desunt tribunalia in terris, nullum in cælo superesse iudicem?



Ira. 33. 1.

Immo sentient aliquem esse, qui omnia videt, & compensat. Hinc enim experiuntur, quicumque rapinis, alijsque malis artibus ditescunt, se cribro aquam hausisse, atque opes perinde ut attrita sunt malè, malè rursus diffuere: rarumque est, militum filios esse opulentos. Verè dixit Isaias: *Cùm consummaueris depraedationem, depraedaberis.* Euanescunt enim spolia, & ingentes gazæ, non aduertentibus illis, dissipantur, vel per conuiuia & compotationes, vel per ludos, quibus sæpe tota patrimonia impendunt; vel per luxum vestium; vel per dona in mulieres & meretrices effusa; vel per furta, rapinas, lites, fraudes, & mille technas, ut iisdem vijs abeant, quibus venerunt. Atque ut externa hæc fortuna bona mittam, quid aliud milites minitantur & spirant, quàm vulnera? nonnè & ipsi vulneribus notantur? & quidem hoc ipso iustissimè, quia illi ad hostes sauciandos conscripti, socios, amicos, & si possint, Diuos non verentur plagis temerare. Sed ita plectuntur, ut negari non possit, diuinam manum non abesse. Anno 1580. 9. & 10. Iulij Oliuerius Tempelius, ut post I. Lipsium scribit Ferreolus Locrius, *vir quamquam militia gnarus, & acer, rerum tamen pessimarum satagens, par ausum, pari euentu terminauit, nisi quòd hic à conuitijs in Virginem abstinendi duo reportarit documenta: unum in Ioanne Zuykio comite, cui glans plumbea ex urbe dimissa, nasum ferit, & aufert, quòd antea palam iactasset: Se suis manibus Hallensi mulierculæ (Dei parentem intelligebat) nasum abscissurum. Posterioris in Ioanne Ryffelmanno, eiusdem perfidia scurra inhumanissimo; qui quòd sacratam se statuam Bruxellam adducturum, atq; ibi igne subiecto publicè crematurum, ore impudentissimo profudisset; istu tormenti & os, & mentum, & paulò post vita conciderunt. Ignem istum inatus, ab igne laceratus est: ille meruit, ut ex boue ipso lora sumerentur, quibus vapularet. Ita ergo in scurrantem olim libuit iocari.*

*Zuyckius Hallensi nasum defringere Diua*

*Dum voluit, nasum perdidit ipse suum.*

*Nam, cum Tempelio, venientem Virgo Thrasionem*

*Audijt horribiles enomuisse minas.*

*Audijt, ac dicto citius vindicta cruentas*

*Militis impuri fecit in ore manus:*

*Exemplo*

Ferreol. Locrius in Maria Augusta lib. 2. cap. 25.



*Exemplo scurra, conceptum fistula plumbum,*

*Indignata nefas, expuit in faciem.*

*Cur tetigit nasum, quem funditus abstulit illi?*

*Nasutus nimium Zuvickius antè fuit.*

Hæc talia militibus diligenter sunt inculcanda, quibus iocuse est, in Diuos dicta iacere; quos qui contemnit, in cælo non videbit. Neque putent verba sua dumtaxat ad aures Iudicis venire; vulnera autem ignorari. Omnes ictus iniquos & spectat, & numerat diuinus oculus, & verò etiam, in tempore compensat. Memini virum fide dignum, in Principis mensa narrasse, Anno Christi 1633. Eluaci, se præsentè, in festo S. Thomæ Apostoli, super mensam, dum alij alia glorianter jactarent, Capitaneum quemdam Suedicum, cum sarcasmo professum esse, *se octo animas habere in conscientia sua, à se occisorum.* Permissus est hoc dicere; vt constaret de iudicio Dei, quo, eo adhuc ipso die, ipse quoque cultro interfectus est; vtque à singulis eum animabus accusatum constaret, octo lethalia vulnera accepit. Hoc postquam ita vt dixi, relatum est, subiunxit alter, Parisijs aliquando duellatorem captum, atque ad gladium damnatum, cum decem validissimos ictus ceruice excerpisset, & carnifex obstupescens exclamasset: Mirum, me, qui tot vno ictu expediui, hunc vnum non posse capite plectere, tot plagis sancium vicissim exclamasse: Duo adhuc ictus à te mihi inferendi sunt, quia ego duodecim duellis, duodecim homines interemi. Quod & factum. Ne putate, ô milites, eum qui vno delicto vel huius, vel alterius vitæ mortem committit, de cetero impunè peccaturum. Omnia peccata exactissimè numerantur. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quod si autem militi vnus hominis iniusta mors, vel complura duella ad mensuram computantur; quid illi erit expectandum, qui, per iniustum bellum, tot mortalium millia in exitium trahit? nec iam homines, sed ciuitates integras, integras prouincias, integra regna & imperia mutilat, affligit, extinguit? Sed quantum sit malum, aut cur hoc tantum belli malum iustissimus Deus permittat, propriam exigit disputationem.

VIII.

Matth. 7. 2.  
Marc. 4. 24.  
Luc. 6. 38.